

# The *Liber Pharetrae* Project

## Liber 3: De periculosis Caput 49: De iudicio (14)

Isidorus, *de Summo Bono*:

Duae sunt differentiae, vel ordines hominum in iudicio, hoc est, electorum et reproborum, qui tamen dividuntur in quatuor. Perfectorum ordo unus est, qui cum Domino iudicat; et alius, qui iudicatur: utriusque tamen cum Christo regnabunt. Similiter ordo reproborum partitur in duobus, dum qui intra Ecclesiam sunt mali, iudicandi sunt et damnandi; qui vero extra Ecclesiam inveniendi sunt, non sunt iudicandi, sed tantum damnandi.

Duae sunt differentiae uel ordines hominum in iudicio, hoc est electorum et reproborum. Qui tamen diuiduntur in quattuor. Perfectorum ordo unus est qui cum Domino iudicat, et alius qui iudicatur. Vtriusque tamen cum Christo regnabunt. Similiter ordo reproborum partitur in duobus, dum hii, qui intra ecclesiam sunt mali, iudicandi sunt et damnandi. Qui uero extra ecclesiam inueniendi sunt, non sunt iudicandi, sed tantum damnandi.

Isidorus Hispalensis, *Sententiae*, 1.27.10-11 (CCSL 111, P. Cazier ed., p.85, ll.48-55).